

**TABULA FERALIS,**  
 Quam  
 in  
**FOEMINÆ**  
 PRÆNOBILISSIMÆ, OMNIQUE VIRTUTUM ET DIGNITATUM  
 GENERE EXCELLENTISSIMÆ  
**DOMINÆ**

**ANNAE KU-**  
**NIGUNDÆ**  
 natæ **GOERINGIAE,**  
**VIRI**

**MAGNIFICI, SUMME REVERENDI, AMPLISSIMI,**  
**EXCELLENTISSIMI QUE**

**DOMINI**

**Dn. JOHANNIS BENE-**  
**DICTI CARPZOVII,**

S.S.Theol.Doctoris & Prof.Publ.longe famigeratissimi,  
 ad D. Thomæ Pastoris optimè meriti, Maj. Princip. Collegii Col-  
 legiati gravissimi, ac Veteribus Pagis Academicis  
 nunc Præpositi Magni,

VIRI meritis suis celeberrimi,

**CONJUGIS CHARISSIMÆ**

Exequiarum die

*ad d. 17. Maj. A. O. R. c. 10 h. XCIV.*

suspendere debebat

Sub

**HOC MAGNIFICO PRÆSIDE**

*florens*

**COLLEGIUM CONCIONATORIUM**

diebus Lunæ frequentari solitum,

*interprete*

**MATTHIA HENRICO HOPPIO,**

Halberstadt., S. S. Theol. C.

*LIPSIAE,*

LITERIS JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

O Inconstantem humanæ Sortis constantiam!  
O multiformem rerum Metamorphosin!

O infelicem fortunam!  
quæ, dum fovet, & favet,  
cavere nos jubet;  
quæ dum ludit, lædit;  
dum arridet, irridet;

Quæ Crocodili instar, dum oculis blanditur, enecat.

O blandam sævitiam!

Fortuna enim fallax, quid aliud est  
quam dulce venenum?

Qua cum re melius comparari potest,  
quam cum bono pessimo?

Quos periculis explicare vult, periculis implicat,  
dum expediendo impedit;

Quos molliter amplexibus suis complectitur,  
plectit & percutit.

Quippe

post honorem, horrorem;  
post favorem, pavorem  
coronidis loco addere solet.

Imò

beneficia beneficiis,  
officia officiis,  
laudem fraude  
mel felle miscet,  
fumumque & fucum vendit.

AST!

Dum omnia inconstantia esse videmus,

Sola Mors hactenus constans fuit,

Mors enim si nos rapit,  
quid sumus?

Humus! fumus! funus!

Anomalias omnibus in rebus videmus,

Sola mors omni nnnc caret Anomaliā;

Similis illa est Æquatori,

Zodiacum mortalium æquali ordine æqualiter dividenti;

O iniquam æquitatem!

Longiori sanè vitâ digna erat

Fœmina omnibus sexum suum decentibus Virtutibus instructissima

ANNA KUNIGUNDA, NAT. GÖRINGIA,  
MAGNI NOSTRI CARPZOVI

Thori socia desideratissima,

Fœmina Pudentissima,

Uxor Prudentissima.

Vota hæc secunda

SECUNDA, FOECUNDA & JUCUNDA erant,

sed per funesta fata

& vita & vota rumpuntur!

428.  
555

Funerum tristitia;  
Epithalamium, Epitaphium  
cito pede insequitur.

Post brevem Gaudiorum Periodum

ex thalamo fit tumulus;

Conjugiique

nidus nudatur,

nodus enodatur.

O amarum amorem!

Videmus VIDUUM consternatissimum in funere CONJUGIS svavissimæ  
suum quasi funus ipse funus sequi.

Ethunc luctum qui carpit, carpens ipse:

(absque acumine hæc profero,

quia & illi, qui, quod præstare nequeunt, carpunt,

acuminis ac judicij Eclipsi insigniter laborant.)

Lugendi enim causas ex Vidui mœstissimi fronte legimus:  
dum

magna Cordis sui Portio,

dum Animæ animique Dimidium,

imò, post Deum,

Animæ Anima moritur!

SED FALLOR!

non moritur,

sed in occasu splendidior oritur.

Venit quidem

è terra in terram,

è lecto ad lethum.

ERRO!

Anima venit

è cœno in cœlum,

per lethum ad læta.

Sanè Funus non absque fœnore;

Jactura est, sed lucipleha jactura;

Ex Solo egreditur, ut Polum ingrediatur,

Vallibus miseriarum valedicit,

Ut in collibus gloriae incolamis vivat.

Ex Sirenarum malitia ad malaciam,

ex metu ad metam,

ex scopulis ad scopum,

ex via devia ad veram vitam pervenit.

Nos inter luctus & fluctus Pharum vix conspicimus,

illa Halcyonia videt;

dum

Per Scyllas & Charybdes tanquam per angustam Portam

in augustum Cœli Portum

bonis ventis navigat.

sed

ne Discipulus Doctorem docere,

Guttula flumini solatii rivos affundere videar,

Ipsa Beata defuncta muto ore solatia spargat.

Luna

ILLICETI



Solem meum solum reliqui,  
ast bene factum Domui nostræ,  
digniori eidem lumine servato.

MI CORCULUM!

mitte gemitus! mitte lacrymas! mitte fletus! mitte ejulatus!  
ni gemitibus gemitus geminare velis,

Sanè enim

lacrymis lacrymas non absterges,

fletu fletum non lenies,

Curarum m̄rbos curis tuis non curabis,

Parce Ecclesiæ Christi! Parce Tibi! Parce Tuis!

DIXI!

Sed Tuus in me, & meus in te Amor  
nondum permittit ut taceam;

CONCIONATOR es,

& si CONJUGIUM nostrum CONCIONI comparandum esset,  
omnia bene se habuerunt.

Introitum, Sponsalia;

Exordium, Nuptiæ;

Propositionem, Conjugii finis & scopus;

TRACTATIONEM, vita in Conjugio peracta absolvit.

Nihil quoque hac in Concione censeri potuit;

Biga PARTIUM, erat homogena, adæquata,  
quâlibet Parte suam curarum partem sibi sumente;

& quod in Concionibus fieri solet,

Preces quoque devotæ hinc inde annexebantur;

insuper PORIS MATA quoque inspergebantur,

(dum Conjugium sine Prole

Dies est sine sole

Concio sine Applicatione.)

Sed mors Virgulâ Censoriâ concionem hanc notavit.

Si aliâs Conciones ex abrupto clausæ  
affectûs movent, aculeumque in Auditorum animis relinquent,

Quid mirum si hæc Concio, parte quadam adempta,

præter spem sed tamen non sine precibus clausa

Doloris aculeos tuo in animo relinquat!

Nos quidem hactenus SYNTHETICA,

Mors verò ANALYTICA uti voluit METHODO,

ast

duplici, (nempe hâc, & alia adhuc) interveniente methodo Schematica,

olim in Cœlis iterum SYNTHETICA utemur methodo,

Et quemadmodum Concione finitâ, cantiones in templis audiuntur,  
ita & nos finitâ Concione nostrâ in terris, in æterno illo Sabbatho

Cantiones in terrâ inchoatas

cum Angelorum & Sanctorum Concione continuabimus.

O optatam Concionis nostræ metamorphosin!

MI CORCULUM!

Vale! Salve!

Tu verò VIATOR!

ita in terris viyas, ut & in cœlo vivere possis,

Omni momento ultimi memento momenti,

morte enim certâ nihil incertius,

morte in certâ nihil certius.

Adhuc unum te volo:

scilicet:

ILICET!

# TABULA FERALIS,

Quam

in

## FOEMINÆ

PRÆNOBILISSIMÆ, OMNIQUE VIRTUTUM ET DIGNITATUM  
GENERE EXCELLENTISSIMÆ

DOMINI

**ANNA**  
**NIGU**  
natæ **GOE**  
**V**

MAGNIFICI, SUMME R  
EXCELLENS

DO  
**Dn. JOHAN**  
**DICTI CA**

S.S.Theol.Doctoris & Prof.

ad D. Thomæ Pastoris optimè m  
legati gravissimi, ac Vet  
nunc Præp

VIRI meritis  
**CONJUGIS**

Exequia

ad d. 17. Maj. A. C  
suspender

HOC MAGNIF

**COLLEGIUM CO**

diebus Lunæ fre

**MATTHIA HEN**

Halberstad., S.S.Theol. C.

LITERIS JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

